



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus, Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus, apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Sententiæ declaratoriæ suspensionis contentæ in c. Episcopus 35. dist.
Form. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

Sententiae Declaratoriæ.

F O R M U L A VI

VIsi, & attenta informatione capta, ex qua constat, Presbyterum N. aleis ludere solium, monitioni sibi factæ, ut à tali ludo abstineret sub pena suspensionis non paruisse, imò adhuc d. ludo etiam cum laicis deservire (vel Tabernas frequentare) eum à Divinis suspendimus per tres menses, & suspensum declaramus, & denunciamus, & eidem intimari mandamus.

(N. Vic. Gen.)

N. Actuarius.

S U M M A R I U M .

- 1 Ludus alearum prohibetur, tam jure canonico, quam jure civili.
- 2 Datur formula monitonis cessationis ab hoc ludo, & informationis capienda, & n. 3.
- 3 Datur formula suspensionis à Divinis, ex informata conscientia.
- 4 Episcopus in delictis difficilis probatio-
nis, sibi notis, potest extrajudicia-
liter, & sine processu, Clericos, &
Presbyteros à divinis suspendere.
- 5 Qui raro, & modice ludit recreatio-
nis gratia, non est processandus,
quia non dicitur aleis deservire,
& num. 11.
- 6 Qui raro, & modice ludit recreatio-
nis gratia, non est processandus,
quia non dicitur aleis deservire,
& num. 11.
- 7 Clerici non sunt puniendi pro ludo
alearum (nisi sint publici Aleato-
res) quando non processit monitio,
ut desisterent.
- 8 Clericis prohibitum est cum laicis lu-
dere.
- 9 Clerici dicuntur ludo aleæ deservire,
si ludant frequenter, vel notabilem
pecunia summam, ludo aleæ expo-
nent.
- 10 Consuetudo nutritiva peccati, non
excusat in conscientia, & n. 12.
13. & 14.
- 11 Mala, & peccata, quæ ex ludo aleæ
proveniunt, enumerantur.
- 12 Episcopi, & Regulares, non debent
ludere aleis, & n. 17.

- 18 Clerici Aleatores, & Tabernas fr-
quentantes, arbitrio Episcopi pu-
niuntur, & n. 19.
- 20 Intimatio Decreti suspensionis, vel in-
terdicli tripliciter fieri potest, & de-
claratur modus.
- 21 Praeceptum Judicis, quo injungitur, ut
quis se constituat in carceribus, est
nullum, & injustum, & tanquam
à jure improbatum sperni potest,
& num. 22.

ADNOTATIONES.

X QUACONSTAT. Quia ludus iste non tantum canonico, sed etiam jure civili (ob excessus, & crima, quæ ab illo oriuntur) prohibetur, ut in leg. alearum 15. Cod. de relig. & sump. funer. Auth. interdicimus de Sanctis. Episc. à Clericis est fugiendus, & ab Ordinariis inquirendus, & quos inveniat illum frequentare, moneat prima vice paternaliter, ut abstineant, si non pareant, secunda vice moeat judicialiter sic.

Moneris tu N. ut abstineas à ludo alearum, sive Chartarum, tam in publico, quam in privato sub pena suspensionis à Divinis, alisque arbitrio, quoniam, &c. Instan. Promotore Fiscale Curiae Episcopalis, &c.

Monitione executa, & in actis Curiae reproducta, si Clericus non desinat ludere, examinandierunt super transgres-
sione monitionis testes, qui si illam probent, proceditur ad suspensionem, pro-
pt.

ut in formula, pro tempore Judici bene viso, habito respectu ad circumstantias plus, vel minus transgressionem aggravantes. Quod si per testes transgressio probari non possit, prout sāpē contingit ob versutiam ludentium, & fidem datam sociorum ludi, si Judici de ea certò constet aliunde, poterit ad hanc pœnam, extrajudicialiter procedendo ex sola informata conscientia devenire, Decretum ita formando.

⁴ *Constituto Nobis, Presbyterum N. esse reum criminis, eum ob causas, quæ animum nostrum digne movent, & de quibus Deo, & Sedi Apostolicæ cum haberimus in mandatis, rationem reddere debemus, & ex informata conscientia, à Divinis suspensionibus per sex menses, & suspensum declaramus, ac ei decretum suspensionis intimati mandamus.*

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

Hoc enim casu Episcopus (qui subscribere debet Decretum, & non Vica-rius) relicta via judiciali procedit contra reum ex informata conscientia extrajudicialiter, & illum punit pro crimine occulto sibi noto, nulla facta mentione delicti in specie, quod commisit, & in foro externo probari non potuit, nē detur ei ansa appellandi, & de nullitate, seu iniustitia reclamandi, ob defectum processus. Et hoc remedio uti poterit in aliis casibus difficilis pobationis mali exempli, nē delicta, & excessus remaneant impunita, juxta sibi traditam facultatem à Concilio Trid. in c. I. sess. 24. de refor. & prout hoc facere posse jam declaravit Sacr. Congreg. Concilii in Bononien. 14. Novembr. 1654. in qua cum supplicatum fuisset decretari -- *An Ordinariis locorum facultate sibi concessa à Sacr. Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. de reform. licet ob legitimas causas suspendere etiam extrajudicialiter Clericos, & Presbyteros seculares, etiam Parochos sibi subdilos, sublata eis potestate appellandi. Congreg. Concilii censuit Ordinariis ut suprà, lice- re, quam declarationem refert Crispin.*

de visit. pastor. part. 3. §. 5. num. 5.

Aleis ludere solitum. Hoc dicitur ad demonstrandum, quod inquisitio & processus instrui debet adversus Clericos Consuetudinarios, qui pœnam suspensionis merentur: alii enim qui raro, & modice ludunt non sunt processandi, prout colligitur ex citato text. in d. cap. Episcopus ibi. -- aleæ, atque ebrietati deser- viens, idest, ut ait ibi gloss. valde serviens, Barb. ibi num. 5. Menoch. de arbitr. cas. 399. num. 19. & 20. Hoc namque interdictum pertinet ad solitos ludere, sive ad frequentantes aleas, sive ad deservientes aleæ, ut notat Martin. del Rio disq. magic. lib. 4. c. 4. quest. 2. lit. D. pag. mibi 443. & ideò, qui occasione convivii, recreationis, vel causa honoris per modicum tempus aleis ludit excusatur, ut trahunt Graff. dec. aur. p. 1. lib. 2. cap. 121. num. 11. Graff. de effect. cler. effect. 22. n. 27. & seqq. Pirbing. in jus can. lib. 3. tit. 1. num. 25. ubi hæc habet. -- Clericos ludentes aleis raro, & modestè ob recreationem, omnino excusari à peccato, si lex Diæcesana ipsi non prohibeat tales fortunæ ludos, & si (adde tu) caveant fraudes, dicta, & facta turpia.

Monitionis sibi factæ. Clerici, nisi sint publici aleatores, non debent pœna suspensionis puniri pro ludo aleæ, nisi prius fuerint moniti, ut desinant, & cessent aleis ludere: monitione autem facta, si non desistant, & adhuc perseverent, pœna gravanda erit Judicis arbitrio, ut volunt Menoch. de arbitr. d. cas. 399. num. 3. Lel. Zecch. de republic. Ecclesiast. tit. de Cleric. n. 7. vers. quinquagesimo octavo §. Similiter: Ideoque, ut Clericos aleatores de inobedientia inexcusabiles reddat, & in re prohibita reddat contumaces: Ordinarius monitionem premittere non obliviscatur.

Diclo ludo etiam cum laicis deservire. Clericis prohibitur, non tantum cum laicis ludere ludo alearum, sed etiam alio ludo licito, adeò, ut casus inde proveniens, Clerico imputetur, c. continetur ubi gloss. 2. de homic. Graff. decis. aur. par. 2. lib. 3. cap. 9. num. 12. & 13. Dicitur autem Clericum ludo aleæ deservire, si frequenter ludat, aut notabilem pecu-

N. 4 niae

niae summam spectato statu suo , ludo aleæ exponit , nam tunc eum peccare mortaliter , maximè si pecunia exposita sit de bonis Ecclesiæ , ferè omnes DD. admittunt , & præsertim Navar. manual. Confess. cap. 20. num. 9. Graff. d. c. 9. n. 10. Graff. de effect. cleric. d. effect. 22. num. 32. & seqq. Pirhing. loco supra citato d. n. 35. Sebast. Medic. tom. 3. in sum. peccat. part. 2. tit. 7. quæst. 26. ver. tercia fit conclusio , Pignatell. consult. 93. num. 9. tom. 6.

10. Neque ab hac ludendi aleis prohibitione Clericos excusat dipterium in ore vulgi positum , quod canones , id prohibentes , sint antiquati , & per desuetudinem jam fuerint abrogati : cum passim multi Clerici aleis ludant , & non puniantur , nec Confessarii scrupulum de hoc ingerant : etenim respondeatur . Primo , quod non minus ardebunt qui cum multis ardebunt , ut ait glof. in cap. exigit. verb. præterito de cens. in 6. Secundò , quod ludus iste prohibetur Clericis sub gravi pena depositionis ab officio , quæ mortalem culpam presupponit , & includit , ut firmant DD. superius allegati , & sic cum asserta consuetudo sit nutritiva peccati , non consuetudo , sed corruptela nuncupatur , quæ non potest excusare in conscientia , Sabell. in specie de consuetudine ludendi alei in sum. divers. tract. §. Ludus num. 8. vers. quibus addo , Giballin. ad Constat. Egid. lib. 2. c. 4. num. 4. Et hoc enim ludo frequentato oriuntur , cupiditas lucrandi radix omnium malorum , mendacium , verba obscena , otiosa , & vana , blasphemiae , ira , desperatio , corruptio astantium , scandalum bonorum , & contemptus prohibitionis Ecclesiæ , & demum tria pretiosa ammittuntur , nempe , tempus , pecunia , & devotio , ut advertit Graff. d. c. 9. num. 23. & 24. ubi dicit quod iste ludus propter mala prædicta est fugiendus , tanquam res detestabilis , Barb. in c. Clerici num. 6. de vit. & honest. cleric. & latius dixi ego in part. 1. in Appendix. pag. 360. num. 27. Propterea que , qui ludendo aleis , se exponit periculo peccati , peccatum committit , quod non excusat à consuetudine peccandi , ut probant Pignatell. & Sabell. loco mox supra allegato .

11. I

Tertiò respondeatur , quod cap. 1. dif. 13. 35. & cap. penult. de vit. & honest. cleric. ludum alearum Clericis prohibentes , fuerunt à Concilio Trid. sess. 22. cap. 1. de reform. expresse innovati , ibique abrogantur consuetudines contrariae , & injungitur Episcopis ut eis non obstantibus , canones quoad hoc observare faciant -- ne subditorum neglegitæ emendationis , ipsi dignas , Deo vindice , penas persolvant (sunt verba Concilii .) Hinc duæ emergunt propositiones , quæ lusores devincent , altera , quod cum Decretum Conciliare contineat clausulam irritantem , excludit contra illius dispositionem omnis prætentæ contraria consuetudo . Gonzal. ad regul. 8. glof. 15. num. 37. Pignatell. consult. 16. num. 4. tom. 7. Card. de Lue d. juris d. disc. 42. num. 85. Rot. cor. Dunoz. jun. dec. 894. num. 7. & seq. Altera , quod Episcopus , nisi velit ipse pœnas culpis Clericorum ludentium debitas coram Deo persolvere , non potest eos in hoc malo abusu tolerare , nec excusare , Graff. de effect. cleric. d. effect. 22. num. 21. qui sic ait -- ampliatur iste effectus , ut in tantum sit verum quod Clerici ludentes non possunt excusari contraria consuetudine , quia talis consuetudo est damnata , & diceretur potius corruptela cap. inter dilectos , & ibi scribentes de excess. prælat. & tu lector adde , quod hæc consuetudo non excusat quo ad Deum , sed accusat , Piasc. in par. 2. c. 5. art. 3. num. 114. latè Paris. de resign. benef. lib. 5. quæst. 6. num. 120. & aquatuor seqq.

Quartò negatur suppositum , quod 15 Confessarii non faciant de hoc ludo Clericis penitentibus scrupulum , quia id evenire solum potest , vel quando Clericus raro , & modice ludit recreationis gratia , ut supra admissum fuit , vel quando , ut morem gerat alicui personæ , cui aliquo rationabili respectu , debetur reverentia , & obedientia ludit , quia ille imperat ludere , etiam frequenter sine periculo peccandi . Cæterum Confessarius tam tenuis litteraturæ , qui absolvat Clericum ludo aleæ inservientem , sine correctione , sine penitentia , & sine admonitione ut abstineat , apud me non invenitur , sed penitens , qui de hoc

hoc ludo nullum sibi faciat scrupulum, inveniatur, consentio.

16 Dè Episcopis, qui ludo aleæ nunquam debent ludere, ut monet Graff. *de effect. cleric. d. eff. 22. num. 42.* non loquor, quia nefas est dubitare inter eos aliquem inveniri, qui hoc licitum sibi putet, si enim ludus iste damnatur in Clericis, quid erit dicendum in Episcopo, & si Presul est lusor, quomodo baculo pastorali attrahentur peccantes, & reducentur vagantes? *juxta versum quem refert glos. in c. unico verb. propter de Sacra Unit.*

Attrahere peccantes, rege justos, punge vagantes.

17 Nec minus loquor de Religiosis Claustralibus, quibus satis est proponere monitum, Passerin à Sextula in tract. de stat. hom. tom. 2. q. 187. art. 2. num. 344. ubi sic inquit: *Inde est, quod nedium in Religionibus observantibus, sed in omni Religione Prælati, hujusmodi pestes, & ludos voluptuosos nulla consuetudine obstante juxta sanctita in Concilio Trid. Sess. 22. cap. 1. extirpare debent, & graviter peccant si id non faciunt, & si hujusmodi ludos permittrunt, & multo amplius si dant licentiam ludendi suis subditis: manifestum enim est, quod per usum horum ludorum sub prætextu recreationis Fratrum, sternitur via ad dissolutionem Religionum, & præcipue sancta paupertas evertitur.* Hæc Passerinus, quæ verissima sunt, quia ludere ludo prohibito, & statui religioso indecenti, non censetur honesta recreatio, ut bene observat Tambur. *de jur. Abb. tom. 2. disp. 22. q. 12. n. 5.*

18 A divinis suspendimus. Licet Clerici aleatores juxta rigorem citati text. *in d. c. 1. diff. 35.* si sint in sacris constituti, deponendi sint, & cæteri minorum ordinum excommunicandi, tamen hodie ex communi praxi, pena Clerici aleatoris est Judici arbitraria, qui pro modo culpe, & ludentium consuetudinis temperat, & auget penam, ut tradunt Graff. *de effect. cleric. d. eff. 22. num. 20.* Pignatell. *d. consult. 93. num. 30. tom. 6.* & sic non solum suspensione à Divinis, quæ est species dispositionis ad tempus, sed carcere

si clericus lusor non habet in ære, juxta versum.

Corpore det poenas, qui caret ære malus.

Aut mulcta pecuniaria locis piis applicanda, lusores hujusmodi puniendi erunt ut cessent ludere.

Eadem poena coerceri debent Clerici *19* Tabernas frequentantes, nisi sint in itinere, *c. fin. de vit. & honest. cleric. c. nulli diff. 44.* Bellet. *disquis. cleric. part. 2. de poen. cleric. §. 15. n. 2. & 4.*

Et eidem intimari mandamus. Intimatio Decreti suspensionis, sive alterius censuræ tripliciter fieri potest. Primo; modo, & forma ordinaria, nempe per publicum Nuncium dimissa copia Decreti in manibus suspensi, vel interdicti, cum relatione exequutionis in actis facienda. Secundo per Cancellarium, sive Actuarium Curiae coram testibus. Tertiò per subscriptionem ipsis suspensi, sive interdicti, acceptando Decretum in mansionibus Judicis, ne evadat publicum, & hic ultimus modus solet practicari in delictis occultis, ad evitandam diffamationem suspensi, v. g. in Clerico de adulterio, aut stupro imputato, qui apparenter potest de adulterio, vel stupro absolvi, secreto tamen, & in Camera, in penam pecuniariam, & suspensionis à Divinis condemnatur, juxta notata per D. Raynal. observ. crim. suppl. ad c. 28. suppl. I. n. 30.

Advertere hic debent Episcopi, eorumque Vicarii, quod si pro hujusmodi vel aliis delictis velint delinquentes Clericos carcere punire, constructo processu, non debent eis præceptum injungere ut compareant, & se constituant in carceribus sub pena pecuniaria, & in subsidium censurarum, nec minus si contumaces fiant præcepto, mulctam exigere, quia tale præceptum tanquam nullum, injustum, & in'quum non obligat, & sperni potest, cum nemo carnem suam odio habere debeat, nec se ipsum prodere, & in carceribus constituere ut de communi volunt Cyriac. *contr. 101. n. 65.* Tondut. *de prævent. part. 2. cap. 43. n. 1. & 2.* & per consequens nec pena in præcepto comminata poterunt mulctari.

Et

22 Et quamquam contraria praxis frequenter servetur in Curiis Episcopali. Regni Neapolitani, illam tamen dum Venusio eram Vicarius servare nolui, quia tum à jure, tum à DD. supra allegatis improbat, & aliis concordantibus citatis fusiū reprobat D. Raynald. obser. crim. supplēm. ad cap. 2. supplēm. 2. ann. 135. ad n. 147. & n. 172. Et ad summum ex vi p̄cepti ad informandam Curiam, & aliorum similiū; delinquentes poterunt solū effici, & reddi contumaces ad effectum, ut habeantur pro confessis, & convictis, aliis extantibus indiciis, & probationibus, & ut tanquam tales condemnari possint in pœnam patrati delicti, non verò ut valent condemnari in pœnam comminatam in p̄cepto, seu citatione, ut Div. Raynald. observat ibid. n. 143.

De suspensione contenta in c. dolentes de celebrat. missar.

Ut Divina officia studiosè, & devote celebrentur, p̄fertim in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesis Episcopi, aliis Ordinarii, evigilare debent. Quare si ad reformandam chorālum festinātiā, scurrilitatem, & inde votam psalmodiā recitationem, seu corporis compositionem, paternæ admonitiones, & charitas benigna Pastoris non juvant, nec profundit, potestas omnino adhibetur, & pœna suspensionis in hac Decretali Concilii Generalis Lateranensis sub Innoc. III. emanatæ contenta coercendi erunt refractarii, p̄misso Decreto sequenti.

Sententiæ, sive Decreti Suspensionis.

F O R M U L A VII.

Vīsa, & attenta informatione capta, ex qua constat Canonicum (sive Presbyterum) N. & Canonicum N. Decreti Concilii Lateranensis, & nostri Edicti, super devota, & studiosa Divinorum officiorum celebrationē, & intercessione, etiam post paternales admonitiones nostras, transgressores, & violatores existere, ipsos à divinis (seu ab officio, per tres menses suspendimus, & suspensos totaliter declaramus, & denunciamus, & intimari, & ad valvas Capituli publicari mandamus.

N. Vic. Gen.

N. Actuarius.

S U M M A R I U M .

- 1 Laici sunt idonei Testes ad probandas scurrilitates Clericorum in Choro.
- 2 Edictum affixum in Sacrario, stat loco monitionis.
- 3 Canonici tenentur interesse lectioni Canonici Théologi.
- 4 Prætensiō præcedentiae, non excusat à residentia, quando Episcopus locum assignavit.
- 5 Canonicus primo receptus, an & quando locum cedat Canonico Presbytero,

- Secundo recepto, & stallum recuperenti, si fiat Sacerdos ostenditur, & n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.
14. Presbyteri simplices, debent inter se præcedere juxta antianitatem suscepti ordinis Presbyteratus, etiam si aliquis ex eis sit Doctor, vel Vicarius foraneus..
15. Consuetudo immemorabilis nunquam censetur exclusa, & n. 16. & 17.
18. Consuetudo, quæ in loco viget, ut Vicarius foraneus præcedat alios Presbyteros, servanda est.
19. Vi-